

BERNARDUS

EPISCOPUS LUTEVENSIS

NOTITIA

Is dictus est Bernardus de Provençeriis, qui pro jurium ecclesiasticorum tuitione immensos sustinuit labores. Concilio Claromontano interfuit anno 1095, ibique Urbani secundi classico excitatus, sacræ militiæ nomen dedit; et triennio post captam civitatem sanctam hominem exiit. Porro ex hac charta Innotescit jus frater Austorgius, uti et Willelmus de Provençeriis, ejus consanguineus.

DONATIO PRO ECCLESIA S. GREGORII RUTHENENSI.

(Anno 1095.

[Ex archivis S. Victoris eruit D. Furnerius. — Edidit D. MARTENE, *Ampl. Collect.* I, 532.]

In Dei nomine ego BERNARDUS, gratia Dei Lute-^Arensensis episcopus, notum atque manifestum esse rolo cunctis hominibus quod censu et ingenio atque amore meo redemi ecclesiam S. Gregorii, quæ est in episcopatu Ruthenensi, in territorio Valleoli, de manu laicorum consanguineorum meorum, Willelmi scilicet de *Prevencheires*, qui tertiam partem in ecclesia ipsa injuste et per invasionem tenebat, et dedi pro ipsa tertia parte.... millia solidorum Podiensium, ea intentione ut præfata ecclesia quæ male et inhoneste ordinata erat, ego bene et libere ad amorem Dei et ejus servitium ordine regulari perpetualiter ordinarem. Hanc igitur intentionem meam complere cupiens, consilio et laude fratris mei Austorgii dono, concedo ipsam ad præsens tertiam partem præscriptæ ecclesiæ, quam, ut prælibatum est, studio et substantia mea redemi, venerabili abbati Massiliensi Richardo, et per eum do B. Mariæ atque S. Victori martyri Massiliensi, necnon et successoribus et monachis prædicti abbatis, tam præsentibus quam uturis ut habeant et possi-^Bdeant, et quidquid inde voluerint ad Dei servitium faciant. Debent autem præfatus abbas et monachi ejus semper scire quod per nullum alium nisi per me, et parentes meos donum hujus ecclesiæ, quod ego pro remedio peccatorum meorum et animabus parentum meorum illis facio, adepti sunt. Unde solliciti sint mihi et parentibus meis hoc donum semper recognoscere, et pro nostra salute ad Dominum exorare. Sane si quis contra hoc nostrum donum veniens infringere illud vel inquietare tentaverit, cujuscunque sit generis, conditionis et ordinis, non valeat vindicare, sed iram Dei omnipotentis incurrat; et præterea hæc nostræ donationis charta firma in æternum stabilisque permaneat.

Actum est hoc vi Nonas Octobris, anno Domini 1095.

Signum Bernardi qui hoc donum fecit et firmavit, et testes firmare rogavit.

Signum Austorgii.